Universitätsbibliothek Paderborn

Exercitivm Perfectionis, Et Virtvtvm Christianarvm

In tres Partes distinctum

Rodríguez, Alonso

Coloniæ Agrippinæ, 1622

II. Perfectio in ipsa Regularum obseruatione consistit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40105

Visual Library

nos exhibere, Regulas magni pendere, & ergo earum obſeruantiam medullitus & intimo cordis affectu nos affici oportet.

CAPVT II.

Perfectio noſtra in ipſa Regularum obſeruatione conſiſtit.

Prou. 3. 2. Legis cuſtodia animæ vita eſt. Pſal. 118. 103. Hieron. epiſtolam Hedibiam.

CVſtodi, inquit ſapiens, *legem atque conſilium & erit vita animæ tuæ, & gratia*, dulcitudo, ſuauitatis, *faucibus tuis*, & palato tuo ſpirituali, iuxta illud Prophetæ, *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo.* S. Hieronymus epiſtola ad Hedibiam, in qua duodecim ab ea propoſitis quæſtionibus ac dubiis reſpondet: quarum prima fuit; Quomodo quis poterit perfectus eſſe? eodem ad eam modo reſpondet, quo Chriſtus Ieſus adoleſcenti illi, qui (vt in Euangelio traditur) ad eum veniens & coram eo genuflectens, petiit, *Magiſter bone quid faciam vt vitam percipiam?* quia ſalutis meæ negotium in tuto collocare inprimis deſidero.

Marc. 10. 21. Matth. 19. 21. Cuſtodia Legis & virtus Dei oculis placet, arridetque. Perfectus eſt, qui Dei mandatis addit Euāgelica conſilia.

Cui Dominus, Præcepta Dei *noſti*, hæc ſerua & ſalutem in tuto collocaris. Tum Adoleſcens. *Magiſter hæc omnia obſeruaui à iuuentute mea.* Addit autem Euangeliſta Marcus *Ieſus autem intuitus eum, dilexit eum.* Ipſo eum intuendi modo & gratia ſatis exterius oſtendit, quo eum amore propterea complecteretur. Virtus quippe & bonitas ex ſe nimis quam amabiles ſunt, Deique oculos & cor ad ſe rapiunt.

Sed mox ad eum Dominus. Porro *vnum tibi deeſt, vade, quæcunque habes vende & da pauperibus*, & habebis *theſaurum in cælo, & veni, ſequere me.* In hoc, inquit Hieronymus ſita perfectio eſt, vt ad ipſa ſcilicet Dei mandata, Euangelica conſilia adiungantur.

Vnde venerabilis Beda ait, iis, qui præter diuina mandata etiam conſilia ſequuntur, ſecundum illam coronam auream, quam Moſes priori ſuperaddere in mentæ labio per circuitum iuſſus eſt, poſſe accommodari. *Et ſuper illam alteram coronam aureolam.* Per hanc enim anagogice intelligi illam præmii & gloriæ præeminentiam, qua præ aliis donabuntur ii, qui hoc in mundo ipſos etiam in perfectione anteibunt, præter diuina mandata Euangelica inſuper conſilia ſectantes. Et hac de cauſa Redemptor adiunxit, *Et habebis theſaurum in cælo.* Id eſt conſilia Euangelica ſequens non modo vitam conſequeris æternam, verum etiam in ipſa cæleſti gloria eris ditiſſimus, & inæſtimabilem theſaurum poſſidebis.

Exod. 25. 25. Religioſa vita eſt menſa cum corona aurea. Matth. 19. 21. Religioſi mittuntur præter vitā æternam theſaurus in cælo.

Hanc quippe nobis Religioſis Deus Opt. Max. gratiam contulit, quod non ſolum nos *de tenebris in admirabile lumen* fidei & Euangelii ſui *vocauit*, vti reliquos omnes Chriſtianos, *& in regnum filii dilectionis ſuæ tranſtulit* & regno cælorum cum electis & amicis ſuis donare nos vult, verum etiam quod eminenter & præcellenter præ aliis in eo euehere & magnates quoſdam efficere ſatagit: atque ideo ad conſilia Euangelica ſectāda, ad ipſum inquam perfectionis ſtatum, quem in Religione profitemur nos euocauit. Æquiſſimum ergo erit, vt tam eminenti beneficio pari gratitudine reſpondeamus: quod faciemus haud dubie, ſi quod à nobis B. P. exigit, exacte obſeruemus: *Quicunque*, inquit, *Societatem ingredientur, & in ea viuēt oēs eius conſtitutiones, Regulas ac viuendi rationem integre, & ad amuſſim obſeruare deſiderent, & cum diuina gratia ex toto corde & viribus, perfecte eas ſeruare allaborent.* In hoc porro noſter ſitus profectus eſt & perfectio.

1. Petr. 2. 9. Coloſ. 1. 13. 6. Part. Conſtit. c. 1. §. 1. Obſeruatio regularum Religioſo ſocietatis valde commendatur.

Hoc ſi facimus, boni futuri ſumus Religioſi, ſi vero perfecte, Religioſi perfecti. Ipſum quoque Religionis nomen ſatis nobis obligationem indicat, qua ad hoc faciendum tenemur, ideo namque Religioſi dicimur, quod ad Regularum & con-

& conſiliorum Euangelicorum obſeruatione nos ipſos obligauerimus, ac velut deuinxerimus. Religioſus enim idem ſonat quod religatus ac reuinctus, propterea quod non per diuina mandata ſolummodo ligatus ſit & obſtrictus; perinde ac reliqui Chriſtiani, verum etiam per Euangelica conſilia, quæ Regulis ipſis comprehenduntur. Hac eadem de cauſa Religioſi ab Eccleſia vocantur Regulares, ob eam videlicet quam ad Regulas ſuas ſeruandas habent obligationem, quod ſane nomen inprimis honorificum eſt, atque eo in Iure Canonico appellari ſolent. Hinc & nos à Concilio Tridentino & in Bullis Apoſtolicis à ſummis Pontificibus, dicimur Clerici Regulares. Nomini ergo noſtro vſquequaque reſpondere ſtudeamus & quam maxime Regulares ſimus, ac Regularum noſtrarum obſeruantes, vt nomini quo dicimur, vita ex æquo reſpondeat. Hinc S. Bernardus ad Religioſos quoſdam, magno feruore in perfectionis ſtadio currentes, ſcribens, eoſque ad in feruore ſuo vlterius progrediendum exhortans ait: *Rogo vos fratres, & multum obſecro, ſic agite, & ſic ſtate in Domino dilectiſſimi, ſolicite ſemper circa cuſtodiam ordinis, vt ordo cuſtodiat vos.* Adeo vt, quamdiu ipſi Religionis Regulas cuſtodiemus, ipſa nos cuſtoditura ſit Religio, inque virtute & perfectione conſeruatura.

Nomen Regularium obſeruationem regularum flagitat.

Seſſ. 25. c. 16.

Epiſt. 321. ad fratres de S. Anaſtaſio.

Cuſtodiens religionis regulam, cuſtoditur à religione.

Tota Samſonis fortitudo & robur in capitis capillis ſita fuiſſe perhibetur, hinc ſuas iis detonſis vires amiſit, & à Philiſthæis facili negotio victus & vinctus eſt.

Iud. 13. 5. & 16. 19.

Quod ſane egregia figura eſt rei, quam hic tractamus. Quia ſicuti Samſonis robur Deus in crinibus capitis ſitum eſſe voluit, eo quod Nazaræus eſſet (qui ſtatus hinc erat veluti modo Religioſus) ex vnius inſtituti & ſectæ præſcripto intonſam Cæſariem alere debebat, nec nouaculam ſuper caput ſuum admittere poterat, & quia callide & aſtu quodam ei capilli præſecti fuere, (quod arcanum ipſe ſuum è nimio erga vxorem Dalilam amore ſui oblitus detexiſſet) vna cum capillis Religionem æque & fortitudinem amiſit: Simili ratione omnis noſtra virtus & robur in Regularum harum (quæ leues quędam paruiq; momenti res, perinde ac capilli videntur) obſeruantia conſiſtit: ſumus quippe Nazaræi, id eſt, Religioſi & hoſce capillos fouere, alere & nutrire tenemur, qui ſi nobis reſecentur, ad inſtar Samſonis robore deſtituemur, facile expugnabimur, & ab inimicis noſtris Philiſthæis illis tartareis & dæmonibus, conſtringemur.

Virtus & robur Religioſi in regulis eſt ſitum, vt Samſonis olim in crinibus.

Caput III.

Regulæ noſtræ ad mortale peccatum nequaquam obligant: hinc tamen occaſionem ſumere ad eas facile tranſgrediendas non oportet.

Regulæ & Conſtitutiones noſtræ ad peccatum, ſiue mortale, ſiue veniale non obligant. Quod ipſum eſt de reliquis ordinationibus ac mandatis ſuperiorum intelligendum, niſi dum ea in nomine Domini noſtri Iesv Christi, vel in virtute Sanctæ obedientiæ ſingillatim præſcribuntur, quemadmodum in ipſis Conſtitutionibus declaratur.

Noluit ſiquidem B. P. eas in peccati laqueum & pedicam eſſe: quamquam hinc earum temere violandarum occaſionem & anſam nemo accipere debet. Qua perſuaſione multos dæmon inducere ſolet, vt Regulas & præcepta maiorum de facili violent.

6. P. Conſt. c. 5.

Regulæ Societatis licet ad peccatum non obligent, perfecte tamen ſeruãdæ ſunt.

Quapropter B. P. N. hinc nobis præcepta peccandi occaſionem & laqueum, qui ex ipſa Conſtitutionum & Regularum obligatione ſequi poterat, eripere, inde vero eaſdem à nobis integre

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN